

52. Adhæsit ei præ cæteris quidem principibus comes Theobaldus, et dilectionem opere prosecutus, et se, et sua in subsidia Claræ-Vallis exposuit, et in manibus Abbatis posuit animam suam, deposita altitudine principali, se inter servos Dei conservum exhibens, non dominum; ut obediret ad omnia, quæcumque domus illius infimi postulasent [al. imperassent]. Emebat igitur fundos, construebat domos, abbatibus novis præbebat impensas; et ubicumque servi Dei extendissent propagines, delegabat pecunias: non unam domum, sicut Salomon Jerosolymis, statuens; sed ubicumque hujus schematis consedisset personæ, satagebat eis ministrare necessaria, quasi Christo in terris præsentis propriam faceret mansionem. Sed et hoc in arbitrio Viri Dei posuit, ut quibuscumque egentibus eo mandante ad opus Dei sumptus præberet. Videns igitur Abbas (47) promptum Principis animum, pietatem accendit, et maxime quidem domesticis fidei voluit eum esse obnoxium; et immortalia templa fundare consuluit, et eleemosynas ea sagacitate disponere, « ut semper fructitantes redivivis et renascentibus accessionibus novas semper eleemosynas parturirent. Deinde egenis, quos hac atque illac quasi vespæ pungentes stimuli paupertatis exagitabant, omnimodis docuit misereri; aliis indumenta, aliis alimenta largiri monuit: et suggestit, ut per se ipsum xenodochia visitaret, nec horreret, aspectus [al. aspectu] languentium; quia in hoc duplicaretur clementiæ bonum, si et videret, et foret; si consolaretur, et reficeret. Humiliare pauperum oppressores, defendere pupillum et viduam, misereri et commodare, sermones in judicio disponere, providere quieti Ecclesiæ, rationem gladii intelligere quasi elementarium **1114** instruxit, summam principalis officii ei intimans, et hoc a principe requiri ex debito, ut laudi bonorum et vindictæ malorum intendat. »

53. Hæc et alia hujusmodi salubria monita homo rationabilis reverenter accipiens, luxum curiæ, et fastum altitudinis in humilitatem et honestatem convertit: nec erat qui in præsentia ejus auderet aliquid indecens vel agere, vel loqui; sed in hoc etiam ei placere studentes, sive ficto, sive puro animo ea, in quibus dominum suum delectari videbant, ipsi quoque sæpius factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui familiariter ei assistebant, pauperes patientes calumniam, nuntiabant languentes in plateis jacentes, et quoscumque in amaritudine et miseria constitutos; et ipse oblata sibi occasione clementiæ lætabatur, et altiori gratia amplectebatur, quos de hujusmodi rebus videbat magis esse sollicitos, (48) [Et quia suorum neminem vel in illa curia, vel pro causa illa Vir Dei passus est demorari;] duos religiosos viros de Præmonstratensi Ordine evocatos eleemosynæ suæ præposuit, ad quorum curam spectaret circumire castella et vi-

(47). Vide de eodem infra lib. iv, cap. 3.

cos, in quibus ipse maneret: et de propria mensa languentes et leprosos, qui ibi manebant, quamdiu in illis locis esset, abundanter refici jussit. Sed et aliis pauperibus largas et congruas personis eleemosynas, sive in cibis, sive in vestibus, eorum ministerio donari instituit. Et illis quidem tantum in domo sua voluit esse dominium, ut potestative, pincernis, et pistoriis, et coquis, et reliquis ministerialibus, quæ vellent juberent, quæ placeret tollerent; nec esset qui aliquid prohibere auderet, vel referret ad Comitem, si in aliquo prodigi viderentur. Sed et viri illi timentes Deum, et tam ei placere, quam Comiti cupientes, nec magnificentiam Principis minuebant, qui charitatis plenitudinem de suis impleri præceperat; nec Deo ingrati esse volebant, si invenirentur desides et avari, ubi eo promptos et expeditos dispensatores esse, tam voluntas Dei, quam Principis sufficiens bonitas injunxisset. Erat præterea horum officio deputatum, ut monachis et religiosiis viris, quod ad curiam diversa mittebant negotia, hospitia providerent, et de penu et horreo Comitis necessaria ministrarent. Circumferebant etiam rigente bruma, aptatis sarcinis pauperum indumenta, et pelles, et birros, et calceamenta, in quibus nec auxungia deerat, quæ per vicos indigis erogabant. Nullum in comitatu illo clementiæ deerat opus: ad portum illum naufragi omnes tutum habebant refugium. Temporibus famis non, sicut Pharaon, frumenta venundedit populo, nec in servitute sibi erogatis annonis subjecit Ægyptum: sed Abbate sancto, quasi altera Joseph, diviniore usus consiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhausti pecunia populum, nec astu circumvenit afflictos, nec re publica ad se translata, privatos in terra cumulavit thesauros; sed in cælo potius thesaurizans infatigabilis distributor, cum magna alacritate et pecunias distribuit, et annonas.

54. Nec defuit viro inhiantibus cælestibus magni ponderis et horrenda tentatio: sed aggressus est eum tam Rex, quam principes, et commota est et contremuit terra; et quasi iratus esset ei Deus, rapinis et incendiis fere omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant; et operuit faciem terræ Regis exercitus, et passim omnia vastabantur. Nec erat ei tutum resistere, vel obviare persecutoribus: quia et si deseruerant eum, manifeste infestantes; et qui remanserant, in insidiis, non ad subsidia erant. Undique angustiae graves, quia nec domi sibi cavere, nec extra poterat congrua providere, cum omnino qui sui essent, nesciret; et tam de perfidia refugarum, quam de duplicitate suorum prorsus diffideret. Inter has autem angustias conversus ad Dominum, et de cælo quaesivit auxilium: et accito Viro Dei cujus consilio maxime utebatur, nec desperans de misericordia Dei, hoc ex ejus responsione accepit, » ut intelligeret quia flagellat

(48) Uncinis inclusa exstant in cod. Corb.

Deus omnem filium quem recipit; et hujusmodi correptiones vel purgant vel probant animam (Prov. iii); et gloriosiorum fuisse Job cum sederet in sterquilino, quam fuisset cum circumstante exercitu sedisset illæsus in solio (Job. ii). Ostendit ei Vir sanctus Salomonem peccasse **1115** in otio, et abusum bono pacis defluxisse in vitia: cum David pater ejus, Absalon filio persequente, et universo Israel adversus eum armato, permansisset in gratia. Intimavit etiam quomodo ipsum satanas colaphizavit Apostolum, in qua tribulatione immobiliter perseverans illud meruit audire, quia *virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. xii, 9-11), et quia in præsentii vita segniores nos faciunt prospera, et circumspectores adversa. »

55. Audiens hæc venerabilis Comes, magnifice animatus, duo immensi ponderis et miri operis vasa aurea (in quibus pretiosissimæ gemmæ habe-

(49) Fortassis hæc erant gemmæ quas a duobus abbatibus ordinis Cisterciensis emit Sugerius, ex lib. *De ejus administratione*, cap. 32. Idem auctor Theo-

bantur inclusæ, quæ in solemnitate coronæ suæ rex Anglorum Henricus avunculus ejus ad ostentationem divitiarum suarum et gloriæ suæ in mensa coram se habere consueverat) sub **1116** omni celeritate proferre jussit in medium; et a corde suo delectationem hujusmodi avellens, gemmas (49) a retinaculis suis jussit abstrahi, et aurum confringi præcepit, ut venderetur, et de pretio eorum dilecta Domino super aurum et topazion tabernacula fundarentur. Nec desistebat Amalech ab infestatione Israel: sed Moyses elevatis in cælum manibus positus est victoria, et retrahentibus se hostibus Abbas sanctus sequester sollicitus, clamantibus ad Deum et domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, et allegationibus divinis intercurrentibus detumescere procellæ, et reversa est inter Regem et Principem tranquillitas, et pacis desiderata serenitas.

baldum comitem *hyacinthos rubeos* ad ecclesiæ Sancti Dionysii dedicationem donasse tradit, apud Chesnium, tom. IV, 356.

LIBER TERTIUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO QUONDAM CLARÆ-VALLENSI, ET S. BERNARDI NOTARIO,
POSTEA ABBATE.

1115 PRÆFATIO.

Clarissimi patris nostri Bernardi Claræ-Vallensis abbatis memoriam viri insignes, ad laudem Christi et multorum ædificationem, litteris, commendarunt. Inventæ sane materia uberi, prout cuique licuit, et certior ei gestorum innouit veritas, non eam totam, sed parte aliquas digessere. Videtur autem nonnullis, quod multo minus eum silere debuerat [al. debeat] puer sanctitatis ipsius, dignationis filius, benignitatis alumnus: quem ab ejus uberibus post annos circiter tredecim (quod sine singula nec meminisse debeo, nec proferre queo) sola tandem, quæ sola potuit, mors avulsit. In quo tibi utinam sibi complaceat etiam nunc, Pater sancte, sicut aliquando videbatur et aliquandiu complacere! Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tantus? Momordit, fateor, et dure momordit mors improba; sed non totum pariter deglutivit. Amputavit, non exstirpavit; sine misericordia portionem, quæ secontingebat, accepit. Tulit aspectum, tulit eloquium, corporale etiam tulit obsequium: sed non rapuit fidem præsentis etiam nunc opitulationis, non obsorbuit spem futuræ aliquando visionis, non denique in præteritorum memoria altius radicatam filialis assumpsit devotionis affectum. Cæterum mihi quidem, ut optime novi, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia suppetit. Sed tua sone magnalia, et tuas digne eloqui laudes, non Origenis ingenium, non Ciceronis lingua suffi-

ceret, nec desperandum tamen, quod tuorum magis operum fructum carpere prudens lector, quam verborum nostrorum folia indigna debebit: ut illorum magis suavitate gustata, quam istorum ariditate culpata, non tam nequiter ista mordeat, quam illos delectabiliter edat. Nam et securius et sincerius visa solent, quam audita narrari; et in tertium vas transfusa facilius coalescunt. Sed et dulcius ea hibitor aqua, quæ ab exiguo licet alveo fontis hauritur quem confestim repleverit vena scaturiens, quam quæ ex rivo tollitur longius jam progresso, vel ex flumine etiam copioso. Inde est quod intactis eorum libris, qui de ejusdem beatissimi Patris nostri initis, seu etiam mediis conscripserunt ne tanquam super alienum ædificasse videar fundamentum, circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus pene omnibus præsens adfui: interdum etiam, licet pauca interserens, quæ fidelissima **1116** fratrum, qui aderant, relatione, cognovi. Verumtamen opus istud libellis tribus partitum lector inveniet. Quorum primus quidem ea maxime quæ ad habitum, mores, atque doctrinam hujus beati Patris videntur pertinere, prosequitur. Secundus autem virtutes multas per eum factas eloquitur. Tertius in ejusdem bono fine completur. Illud etiam admonendum, id rerum narratione gestarum coherentiam similitudinis magis, quam temporis observatione nec signa ipsa, nec opera quædam eo ordine scripta quo facta sunt; sed interdum aliqua,

prout occurrere locis opportunioribus videbantur, inserta. Firmior enim videtur, et haberi acceptior solet oratio, quæ suis innitur et illustratur exemplis, velut fabrica quædam idoneis fulta columnis. Nonnulla quoque transposita sunt, ut similibus aliis jungerentur, et quæ erant ejusdem generis, sibi aptius cõhererent. Verum hæc in duobus quidem libellis prioribus: nam in tertio pene per omnia ordina ipsi ipsius temporis series narrationis obsequitur.

CAPUT PRIMUM.

De moribus et virtutibus sancti Bernardi summam.

1. Innumeris quidem signis atque miraculis, ut Orbis comperit universus, fidelem famulum suum Bernardum Claræ-Vallensem Deus glorificavit abbatem, sicut gloriosus semper in sanctis suis, et in sua mirabilis est majestate. Cæterum, sicut Malachiam sanctum idem ipse commendat, primum maximumque miraculum, quod exhibuit, ipse fuit. Serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione, devotus, et (sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus) de omni re magis fidens orationi, quam industriæ propriæ vel labori (50). Magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate, summus [*al. profundus*] in humilitate, præcipuus in pietate. In consiliis providus, in negotiis efficax, nunquam tamen minus, quam in otio otiosus. Jucundus ad opprobria, ad obsequia verendus. Suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus; affluens denique sapientia, et virtute, et gratiæ apud Deum et homines. Cujus sanctæ animæ adjutorium simile sibi fecerat Deus, et speciali præventum benedictione corpus aptaverat. Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potius quam carnalis. In vultu claritas præfulgebatur, non terrena utique, sed cœlestis: in oculis angelica quædam puritas, et columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, et de cumulo internæ puritatis et gratiæ copiosæ perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum, et sine carnibus erat; ipsa quoque subtilissima cutis in genis modice rubens. In illo nimirum quidquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio et studium compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flavo colorabatur et candido. Barba subrufa, circa finem vitæ ejus respersa canis. Statura mediocritatis honestæ, longitudini tamen viciniore apparebat. Alias autem thesaurus iste in vase fictili erat, contrito penitus et undique conquassato. Laborabat siquidem caro ejus multiplicibus infirmitatibus incommodis, ut in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis, nil penitus siccam, vix solidum aliquid admittentis: molestior erat defectus stomachi, viscerumque corruptio. Hæc continuæ illi, præ-

(50) Vid. lib. iv. De Consid., num. 12.

ter alias sæpius incidentes. Summum ejus studium fugere admirationem, et tanquam unum sese agere cæterorum. At prosequeretur gloria fugientem, sicut e regione captantes sese alios fugere consuevit. Proverbium illud in ore ei frequenter, semper in corde: « Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. » Quo nimirum intuitu vitam regulamque communem amplius æmulabatur, nil in suis actibus præferens observantiæ singularis. Ob hoc denique et cilicium, quod pluribus annis occulte gestaverat, ponere maluit, quam ut ferre sciretur; minus illum latere velle contestans, cui cum cæteris ejusdem professionis sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, et devotio non communis. Nihil negligens, et minima quæque cum studio et intentione tractabat. Ex propria siquidem experientia definire solitus sapientem, cui quæque res sapiunt prout sunt.

2. A primis fere annis sic evasit illecebras gulæ, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdidit. Quoties pia sibi ministrantium fraude deceptus, liquores pro aliis alios sumpsit? Nam et oleum sibi per errorem aliquando propinatum bibit, et penitus ignoravit. Nec prius id cognitum, quam superveniens quidam labia ejus miraretur inuncta. Cibum ejus buccella panis, in aqua calida penitus emolli, cum exiguis sorbitiunculis erat. Modicus ille quidem; sed non modicam ejus partem crudam rejiciebat stomachus, ne qua illi foret in cibo voluptas, quem sumere periculum, sumptum tenere dolor, rejicere miseria. Sic nimirum fideli servo, juxta desiderium cordis sui, dispensatio superna providebat, ut nec fructus ei deesset abstinentiæ singularis, et odiosam semper admirationem declinaret sub umbra necessitatis. De vino quidem sæpius nobis ipse dicebat, decere monachum, quando sumere oporteret, sic gustare illud, ne exinanisse calicem notaretur. Quod sic ipse servabat, quoties sibi vinum patiebatur apponi, ut non modo post unum potum, sed post totum qualecunque prandium, suum vasculum, in quo ei propinabatur, vix aliquando videretur minus plenum a mansula reportari. Minus quidem stare poterat, sed erat sedens peae jugiter, et rarissime movebatur.

Quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orans, aut legens, aut scribens; aut insistens doctrinæ, et fratrum ædificationi; aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali obtinuerat gratiam singularem, ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret: libere secum habitans, et deambulans in latitudine cordis sui, et ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cœnaculum grande stratum. Omnia ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat. Frequenter tamen, licet sic affectus, divino urgente metu, imo regente spiritu, studium hoc lucris uberius postponebat; doctus querere non quod sibi erat utile, sed quod multis. Alioquin in quolibet cœtu hominum vel tumultu, nisi ejus intentionem

causa deposceret, tota facilitate animus colligens, interiori quadam, quam ubique ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, nihil prorsus attendens quod sonaret vel appareret exterius.

CAPUT II.

De visitatione Hugonis Gratianopolitani episcopi, et Cartusianorum; deque mira in Bernardo sensuum custodia.

3. Cum jam Dei Famulus annos aliquot in Clara-Valle peregisset, subiit animum ejus, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum episcopum, et Cartusienses fratres devotionis gratia visitaret: quem prædictus episcopus tam gratanter et tam reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitii visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenuis adoraret. Videns autem servus Christi episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspiciendum, coram se procedentem, vehementer expavit: et ipse quoque pariter corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una, et se invicem fruenter in Christo. Sicut enim regina Saba de Salomone testatur (*III Reg. x, 6, 7*), uterque sese in altero longe amplius, quam fama vulgasset, invenisse gratulabatur.

4. Cartusiæ quoque a viro reverendissimo Guigone Priore, et a cæteris fratribus eodem affectu et eadem veneratione susceptus est Servus Christi, exsultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. Cæterum cum in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit, quod prædictum Priorem Cartusiensem aliquatenus movit, stratura videlicet animalis, cui idem Vir venerabilis insidebat, minus neglecta, minus præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat: sed locutus uni e fratribus, aliquatenus super hoc moveri sese confessus est et mirari. Cumque ille ad Patrem sanctum quod audierat retulisset; non minus ipse miratus, quale illud esset stramentum quærebat, quod ita scilicet a Clara-Valle Cartusiam usque venisset, ut nunquam illud vidisset, nunquam considerasset, et usque in horam illam quale esset, omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed a quodam monacho Cluniacensi avunculo suo, et in sua vicinia demorante, fuerat commodatum; et erat sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quod sic ille Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset.

(51) Vid. epist. 21 et 48. *in fin.*

(52) Mira ordinis severitas! ut lanea interula cum pileo consimili Bernardo fuerit remissionis loco concessa, qua nequidem Eugenius pontifex utebatur,

Juxta lacum etiam Lausanensem totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut se videre non vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat eos, ubi ille lacus esset: et mirati sunt universi.

5. Desideraverat tamen ab initio omni modo subtrahere se negotiis, et nusquam egredi, sed in monasterio residere. Quod et postmodum ex defectu corporis occasionem invenisse se reputans opportunam, aliquando statuit, et aliquandiu tenuit, donec illum exire coegit necessitas gravis Ecclesiæ Dei, et summi Pontificis, atque omnium abbatum sui Ordinis jussio (51), quibus per omnia tanquam patribus deferebat ipse omnium pater. Ex quorum etiam mandato, novissimis quidem annis, præter cucullam et tunicam, laneo (52) panno in modum chlamydis decurtatæ, et pileo simili utebatur, inter tantos languores corporis et labores nullis unquam uti pellibus acquiescens. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam. Nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam foris affectantis humanam. Incessus ejus (53) et habitus omnis modestus et disciplinatus, præferens humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reverentiam, solo visu lætificans et ædificans intuentes. De risu dicimus quod ex ore ejus frequenter audivimus, dum cachinnos religiosorum hominum miraretur, « non meminisse se a primis annis suæ conversionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oporteret; et risui suo stimulum magis adhibere, quam frenum. »

CAPUT III.

De rarâ in eo sermonis cura, modestia, simul et gratia; deque dignitatum fuga.

6. Vocem illi in invalido corpore validam satis intelligibilemque contulerat, qui in opus prædicationis segregaverat illum ex utero matris suæ. Sermo ei, quoties opportuna inveniebatur occasio, ad quas-cumque personas de ædificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores et studia noverat, quibusque congruens auditoribus erat. Sic rusticis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus: sic cæteris quibusque generibus hominum, velut si omnem investigandis eorum operibus operam impendisset. Litteratus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectioris et sapientiæ affluens documentis; omnibus se cooptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo, Cautus erat artificiosissime observare quod ad papam Eugenium scribens, de sui cordis plenitudine eructavit. « Nugæ si incidant interdum, inquit, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sare

supra lib. ii, num. 50. De hoc pileo et pileis pellibus leg. inf. lib. iv, num. 36. Pileum laneum biretum interpretor, seu calanticam. De caputio Bernardi vide i fra lib. vii, cap. 17.

in serium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter audiant, ut supersedeant otiosis (53).

7. Quam vero placabilem et persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem et quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio, nosse poterunt aliquatenus qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis qui verba ejus sæpius audierunt. Siquidem diffusa erat gratia in labiis ejus, et ignitum eloquium ejus vehementer, ut non posset ne ipsius quidem stylus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel et lac sub lingua ejus; nihilominus in ore ejus ignea lex, juxta illud Cantici canticorum: *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce* (Cantic. iv, 3). Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens miro audiebatur affectu, et ex sermone ejus quem intelligere, utpote alterius lingue homines, non valebant, magis quam ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis sentire virtutem: cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, et effusio lacrymarum. Utebatur sane Scripturis tam libere commodeque, ut non tam sequi illas, quam præcedere crederetur, et ducere ipse quo vellet, auctorem earum duem Spiritum sequens. Quem nimirum ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus spiritu sapientiæ et intellectus, ut secundum quod in libro Job legitur, profunda quoque fluviorum scrutaretur, et abscondita proferret in lucem (Job xxviii, 11). Nam et confessus est aliquando, sibi meditati vel oranti sacram omnem, velut sub se positam, et expositam, apparuisse Scripturam.

8. Cæterum quam gratis evangelizaverit, quis digne prædicet? quis digne miretur? Minus fore credidit, nullus sibi ab auditoribus transitorias petere facultates, nisi oblatas sæpius refutaret ecclesiasticas dignitates. Parum illi fuit nulla querere stipendia militantem: ne insignia quidem recipere acceperat. Denique velut alter David, processurus ad bellum, bellica arma sibi graviora causatus est (I Reg. xvii, 39), quibus multos suo præsertim tempore cerneret prægravari: et in simplicitate sua gloriosius triumphabat. Tantam enim gratiam virtus ei divina contulerat, ut licet abjectus esse elegisset in domo Dei, uberius **1120** tamen fructificaret in ea, quam alii quilibet in sublime porrecti; et lucens amplius illustraret Ecclesiam velut de sub modio humilitatis suæ, quam cæteri super candelabra constituti. Nimirum quo humilior, eo semper utilior fuit populo Dei in omni doctrina salutari, in quo tamen nunquam voluit locum tenere doctoris. Beatus plane, qui, sicut ipse de quodam sanctorum ait (54), « legem dilexit, et cathedram non affectavit. » Quam

(53) Lib. II De consid. cap. 13.

(54) Nimirum de S. Malachia, in ejus Oficio, Antiph. 1 ad Matut.

(55) Vid. epist. 21 et 55.

A feliciter siquidem in virtutum cathedra sedere meruit, dum noluit præsidere in cathedris dignitatum! Denique sicut justus et fortis in prædicatione evangelica laboravit, sicut prudens et temperans caviti sibi semper ab ecclesiastica prælatione. Nec enim contumaciter unquam renuit, sed frequenter et ad maximos electus honores, prudenter egit, divina sibi cooperante gratia, ne aliquando cogereetur. Moyses quidem sanctus cessit Aaron fratri suo pontificium; sed lingue erat impeditioris. Bernardum nostrum non ab opere evangelistæ necessitas aliqua, sed ab honore solo sola humilitas revocavit. Merito proinde apud Deum et homines obtinuit gratiam singularem, qui non modo sine sumptu temporalis facultatis, verum etiam sine gradu ecclesiasticæ dignitatis, non autem sine fructu fraternæ salutis Evangelium posuit; et populo Dei semper prodesse studuit, nunquam præesse sustinuit. Raro tamen, nisi forte ad loca proxima, ut prædicaret exivit. Sed quoties eum necessitas aliqua traheret (55), seminabat super omnes aquas, publice et privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi Pontificis actitabat; ad nutum quoque præsulum cæterorum, ubicumque eorum aliquem contigisset adesse. Nimirum quanto magnus erat, humilians se in omnibus, eo magis sacerdotibus deferebat, quo plenius intellexerat, quæ ministris Christi reverentia deberetur.

CAPUT IV.

De infelici expeditionis in Orientem successu, et nato hinc contra Virum sanctum murmure.

C 9. Nec tacendum quod ex prædicatione itineris Jerosolymitani grave contra eum quorundam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cum tristior sequeretur effectus: quod tamen verbum dicere possumus ab eo quidem initium non sumpsisse. Cum enim multorum jam animos permovisset audita necessitas, a rege Francorum semel et iterum propter hoc expetitus (56), apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem summi Pontificis generale epistolam jussus ab eo est tanquam Romanæ Ecclesiæ lingua exponere populis atque principibus: cujus epistolæ tenor (57) fuit, ut in penitentiam et remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posaturi. Hæc et hujusmodi super hoc poterant veraciter dici: sed dicendum potius id quod potius fuit. Evidenter enim verbum hoc prædicavit, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, et quam multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam et eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demum scriptorem numerositas scribendorum, et materia superavit auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab

(56) Vid. lib. II De cons. c. 9.

(57) Hæc epistola prima est Eugenii tomo X Conciliorum.

incommodis variis sanarentur, nec facile ab hujusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus, per Servi sui tactum et orationem, ex ipsis etiam matrum uteris cæcos vivere, claudos ambulare; aridos convalescere, surdos fecit audire, et mutos loqui; mirabilis restituente gratia, quod minus præstitum fuerat a natura.

A 10. Nec tamen ex illa profectioe orientalis Ecclesia liberari, sed cœlestis meruit impleri et lætari. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora a paganis, Occidentalium animas a peccatis; quis audeat dicere illi, Quid fecisti sic? Aut quis recte sapiens, illorum magis non doleat, qui ad priora, vel pejora forte prioribus scelera redierunt, **1121** quam eorum mortem, qui in fructibus penitentiae purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt? Alioquin, quamlibet dicant Ægyptii, dicant filii tenebrarum, qui veritatem nec videre valeant, nec proferre, *Calide eduxit eos, ut interficeret in deserto Exod. xxxii, 12*: patienter tolerat Christus Salvator opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat. Meminit hujus verbi ipse quoque venerabilis Pater, inter cætera dicens: « Si necesse sit unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, et venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam (cap. 4). » Hæc quidem ille in libro de Consideratione secundo. Accidit autem, ubi primum de ejusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor, ut illuminandum Dei Famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus, si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicandi Spiritus ejus adfuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum vero post orationem orationis præstolaretur effectum: « Quid facturus sum, » ait puer? « video enim. » Attolitur illico clamor astantium. Plures enim non modo e fratribus, verum etiam e sæcularibus aderant, qui ut puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.

D 11. [Illud etiam jucunde satis credimus considerasse nonnullos, quod eadem hebdomada, qua felicissima anima ejus carne soluta est, ecclesia Jerosolymitana magnifice satis fuerit divino munere consolata, sicut sæpius noverant illum promississe. Siquidem capta et Ascalon illa munitissima, paucis a sancta civitate milliariis distans, et periculose instans calcaneo ejus. Adversus hanc quinquaginta annis et eo amplius nihil profecerant Christiani laborantes: nam et tunc non humana virtute capta est, sed divina. Nec incongruum nunc ipsius interserere verba, quæ eodem scripserat anno ad virum

(58) Epist. 288.

A optimum militum Templi, tunc ministrum, nunc etiam magistrum Militiæ Templi, qui ipsius secundum carnem avunculus erat. « Væ principibus nostris, ait. In terra Domini nihil boni fecerunt: in suis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, et non compatiuntur super contritione Joseph. Confidimus autem quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet. Porro dextera Domini faciet virtutem, et brachium suum auxiliabitur ei; ut cognoscant omnes quia bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus (58). » Sed de his hactenus.

CAPUT V.

De erroribus Petri Abælardi, et Gilleberti Porretani opera sancti Bernardi confutatis.

B 12. Jam et illud propter posteros memorandum, quam multipliciter Ecclesiæ sanctæ Viri Dei doctrina profuerit in Catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus comprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis. Siquidem præter eos quos docuit sobrie, et juste, et pie vivere in sæculo; quantos etiam perfectius valedicere sæculo persuasit, vel ex hoc liquet, quod non cessavit, quamdiu vixit, deserta sæculi, sæculi desertioribus implere. Cujus ministerio videtur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi: *Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum navitatis. Et benedixit eis, et multiplicati sunt, et jumenta eorum non minoravit* (Psal. cvi, 36-38). Sane in diebus schismatis generalis, quam fideliter Servus Domini stetit in contractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus; quam efficaciter stetit et placavit et cessavit quassatio; quam denique evidenter in tempore iræ factus est reconciliatio; non modo latius prosequendum. Sufficere interim potest, si ipsius super hoc scribentis ad eum Innocentii papæ **1122** verba ponamus: « Quam firma, » ait, « perseverantique constantia causam beati Petri et sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis et discretionis susceperit defendendam, et se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos regum ac principum, et aliarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum, ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, et beati Petri, ac nostram obedientiam, frequentibus argumentis, et ratione munitis reducere laboraverit; magna, quæ Ecclesiæ Dei et nobis provenit, utilitas manifestat (59). » In quibus autem pro fide quoque quam magnifice egerit servus fidelis et prudens, breviter intimandum.

13. Fuit in diebus illis Petrus Abælardus magister insignis, et celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfide dogmatizans. Cujus cum blas-

(59) Vide inter Innocentii epistolas.